



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Iuan Conf. 24. Iunii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

S. IUAN CONF. 24. Iunii.

M Inus multi à calo aberrarent, si ducem bonum Angelum suum sequerentur. Secutus hunc præeuntem IUAN Regis Dalmatiæ filius, ne salutatis quidem parentibus, anno LVII. supra DCCC. in Bohemiæ silvas venit, & in his speluncam patriæ aulae antehabuit. Cùm verò locum eum infestum à malis dæmonibus deserere pararet, obuius CHRISTI Prodromus Ioannes ceden-
ti animos addidit, & cruce datâ armavit. Hæc itaque signa ubi iterum in hostem vertit, victoriam illi eripuit, & quia maternas delicias aspernatus erat, nutricem *Deus* cervam submisit, à cuius lacte & ambrosiâ calo depluente satur, facile ex animo matris ubera delevit. Cæterum in pias latebras tandem Borivojus Bohemorum Dux devenit, ducem cervam, quam diximus, secutus, telo trajectam. Multum igitur lætus tam felici venatione, hortatu Ludmillæ conjugis lectissimæ matronæ, Tetinam arcem suam abduxit IVANEM. Sed hic exosus aulas, non multò post in spelæum suum iterum concessit, ubi posteaquàm annos II. & XL. egit, tandem lubens aliquando exivit ad aulam, sed caelestem illam, & in quâ nulli magis, quàm silvicolârû istiusmodi mores probantur. *Ex Nicolao Salio.*

Dole, quia Creatorem offendisti, cuius legem caelestia & terrestria, prater te, indefessa statione conservant; & in tantâ Republicâ Dei tu solus peregrinus es, & Imperatoriae Majestatis decreta non servas.
S. Pet. Dam. serm. de S. And.

S. GALLICANUS M. 25. Junii.

GALLICANI victorias de Persis Scythisque relatas admirandi, illam, quâ seipsum triumphavit, imitandi jus esto. Eo gloria venerat, ut Constantiæ conjugium præmium militiæ poscenti Constantinus pater negare nihil sit ausus, modò Scythas Romanis finibus eiecisset. In eo dum est, milites panico percussi metu, magnam partem dilapsi infrequentia signa reliquere. Anxio eâ re Gallicano Joannes & Paulus Constantiæ familiares, voti Deo nuncupandi consilium suggessere. Obtemperantem caelestis strategus crucem præferens, eo fretum signo, cinctumque, quos ipsi adduxisset, stipatoribus, sequi se è vestigio iussit. Ita per attonitos hostes ad ipsum Scytharum regem penetravit. Neque ille ausus hiscere adversus tantam vim, vitam pactus se suaque Gallicano permisit. Inde illi veri Numinis admiratio, ejusque ritè colendi ardor injectus. Romanam deportato exercitû, abdicatâ conjugii spe, rebusque humanis valere iussis, seip-